

## E P I S T O L A.

ille toties & ore & scriptis blasphemauerat) ultionem Seruetum ad vos dignum de ipso suppliū sumpturos adduxit, cuius vel solo halitu Satan nocentissimum erroris venenum (per quod Domino nostro Iesu Christo sua veraque Deitas adimitur, id est, fidei nostrae basis conuellitur (ita quibusdam afflauit, ut ne graui quidem istius supplicio illi territi postea silerent, aut saniores essent. Nam anno M.D.LVIII. extiterunt Serueti discipuli impudentissimi, totius generis humani pestes, qui Tritheitarum errorem cum Samosatenismo & Arianismo, id est, monstram monstros cumularunt. Hi autem fuerunt Valentinus Gentilis, Georgius Blandrata & Paulus Alciatus nebulones & impostores maximi. Inter quos Valentinus deprehensus & blasphemiae suae conuictus hic palinodiam cecinit, errorēmque eiurauit, sed tandem cum insaniæ suæ sociis non magis urbis huius aëre, quam noxii serpentes suauē balsami odorē ferre potuit. Itaq; hi omnes se vestrā urbe clām proripuerunt, atq; etiā Valentinus ipse cōtra iuriandū à se publicè datū, quò venena sua liberè expuerent, quæ hic inter vos omnino & supprimi & perire oportere cernebant. Ergo cū vos tot tantisq; hæresēōn malis magna sua misericordia tā facile Dominus liberarit, vt ne exigua quidem earum semina nunc extent,